



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Oratio multum devota ad Filium, 39

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

mine, & rectum iudicium tuum: omnia iudicia tua iusta sunt & vera. Iustus & rectus tu es Domine Deus noster, & non est ulla iniquitas in te. Non enim iniuste neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens & misericors Domine: qui cum non essemus, potenter fecisti nos: & cum perditum fuisset culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter reparasti nos.

2. Scio & certus sum, quod vita nostra non temerariis motibus agitur: sed à te Domino Deo nostro disponitur & gubernatur. Vnde tibi cura est de omnibus, præcipue de servis tuis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua. Idcirco obsecro & suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea quibus iram tuam merui: sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi. Tu Domine, qui exterius flagella irrogas: da semper interius indeficientem patientiam, ita ut laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine, miserere mei, & adiuva me, sicut tu nosti quod mihi est necesse in corpore & in anima: scis omnia, potes omnia, qui vivis in sæcula.

C A P V T XXXIX.

Oratio multum devota ad Filium.

1. **D**omine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui in cruce expansis manibus, propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem Passionis, mihi hodie præbere digneris auxilium. Ecce pauper venio
ad te

ad te divitem, miser ad misericordem; ne recedam vacuus vel contemptus. Esuriens incipio, ne desinam de te jejunos. Famelicus accedo, ne recedam impastus. Et si antequam comedam suspiro, da vel post suspiria ut comedam. In primis, dulcissime Iesu, coram magnificentia tuæ suavitatis, confiteor adversum me injustitiam meam. Ecce, Domine, quia in peccatis fui conceptus & natus: & tu me abluisti & sanctificasti: & ego postea me majoribus sordidavi peccatis. Fui enim in necessariis natus, postea in spontaneis volutatus.

2. Sed tuæ, Domine, miserationis non immemor: tulisti me de domo patris mei carnalis, & de tabernaculis peccatorum: & inspirasti mihi ut sequererte, cum generatione quærentium faciem tuam, ambulantium semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, & tecum discumbentium in canaculo altissimæ paupertatis. Et ego rot beneficiorum ingratus, post religionis ingressum multa commisi illicita, multa perpetravi nefanda: & ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi. Hæc sunt mala mea, Domine, quibus exhonoravi te, & maculavi me (quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti) superbia, vana gloria, & cætera alia mala multa, quibus vexatur & affligitur, laceratur & destruitur infelix anima mea.

3. Ecce, Domine, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me: & nisi tu, cui propriū

G

est

est misereri semper & parcere, dexteram tuæ majestatis supponas, mergi cogor miserabiliter in profundum. Attende, Domine Deus, & vide, quoniam sanctus, & ecce insultat adversum me inimicus meus, dicens: Deus dereliquit eum, persequar & comprehendam eum, quia non est qui eripiat. Et tu Domine usquequo? Convertere, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam. Miserere filii tui, quem in dolore non modico peperisti; & noli attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Quis est pater, qui filium non liberet? aut quis filius, quem pater pietatis baculo non corripiat?

4. Ergo pater & Domine, licet peccator sim, non possum non esse filius tuus: quia tu me fecisti & refecisti, sicut peccavi, emenda me; & prius flagello me emendatum, trade me filio tuo. Nunquid oblivisci potest mater infantem uteri sui? Et certe, si illa oblita fuerit, tu pater promisisti te non oblivisci. Ecce clamo, & non exaudis me: dolore crucior, & non consolaris me. Quid dicam, vel quid faciam miserrimus? Ego tanto destitutus solatio, projectus sum à facie oculorum tuorum. Heu me, de quanto bono in quantum malum cecidi! Quo tendebam, & quo deveni? Vbi sum, & ubi non sum? Ad quæ aspiravi, & nunc in quibus suspiro? Quasiivi bona, & ecce turbatio. Ecce jam morior, & Iesus non est mecum. Et certe melius est mihi non esse, quam sine Iesu esse. Melius est non vivere, quam vivere sine vita.

5. Et

5. Et tu Domine Iesu, ubi sunt misericordix tuæ antiquæ? Nunquid irasceris mihi in finem? Placare obsecro, & miserere mei, & non avertas faciem tuam à me: qui pro me redimendo, non avertisti faciem tuam ab increpantibus & conspuentibus in te. Fateor, quia peccavi, & conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia non sufficit ad satisfactionem: sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem. Noli, quæso, piissime Domine, scribere adversum me amaritudines meas, ut intres in iudicium cum servo tuo; sed secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Væ mihi misero! cum venerit dies iudicii, & aperti fuerint libri conscientiarum: cum dicetur de me: Ecce homo, & opera eius. Quid faciam tunc, Domine Deus meus, cum cœli revelabunt iniquitatem meam, & adversum me terra consurget? Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite præ confusione, coram te stabo trepidus & confusus.

6. Heu me miserum, quid dicam? Clamabo ad te Domine Deus meus. Quare tacens consumor? Verumtamen si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, amarissima amaritudine cruciabor interius. Plange anima mea, sicut vidua super virum pubertatis suæ. Vlula misera, & plora, quoniam dimisit te sponsus tuus, id est, Christus. Ira omnipotens, ne irruas super me, quia nunquam capi posses in me. Certe non est in toto me, quod posset tolerare te. Misere

rere ne desperem, sed desperando respirem. Et si ego commisi, unde me damnare potes; tu non amisisti unde salvare soles.

7. Tu Domine non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium: imo ut mortui viverent, tu mortuus es, & mors tua peccatorum mortem occidit: & ipsi te moriente vixerunt. Obsecro te Domine, ut ego, te vivente, non moriar. Mitte manum tuam de alto, & libera me de manu inimicorum meorum; ne supergaudeant mihi, & dicant: Devorabimus eum. Quis unquam bone Iesu, de tua misericordia diffidat; qui cum inimici tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo, & reconciliasti nos Deo? Ecce sub tuæ misericordiæ umbra protectus, ad thronum gloriæ veniam postulans curro, clamans & pulsans, donec miserearis mihi. Si enim ad veniam nos vocasti, veniam non quærentes, quanto magis veniam impetrebimus postulantes?

8. Ne memineris, dulcissime Iesu, tuæ iustitiæ adversus peccatorem tuum: sed esto memor benignitatis tuæ adversus creaturam tuam. Ne memineris iræ adversus reum, sed memor esto miserationis tuæ adversus miserum. Obliviscere superbum provocantem, & respice miserum invocantem. Quid enim est Iesus nisi Salvator? Ergo Iesu per temetipsum exsurge in adiutorium mihi, & dic animæ meæ: salus tua ego sum. Multum Domine de tua bonitate præsumo, quoniam tu ipse doces petere, quærere, & pulsare. Et ideo tua oratione admonitus, peto, quæro, & pulso.

9. Et

9. Et tu Domine, qui jubes petere, fac accipere; consulis quærere, da & invenire; doces pulsare, aperi pulsanti: & confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum; & omnes sensus meos, cogitatus & actus dirigere & gubernare digneris in beneplacito tuo; ut de cætero tibi serviam, tibi vivam, tibi que me tradam. Scio, Domine mi, quia ex hoc quod me fecisti, debeo tibi meipsum: & quia me redemisti, & pro me homo factus es, deberem tibi plus quam me; si haberem quanto tu major es, pro quo dedisti te ipsum. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo dare tibi possum sine te, sed accipe me tu, & trahe me ad te; ut tuus sim imitatione & dilectione, sicut tuus sum conditione & creatione. Qui vivis & regnas in sæcula, Amen.

CAPVT XL.

Oratio utilis.

I. **D**omine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, qui es semper in omnibus; & eras ante omnia, & eris semper in omnibus Deus benedictus in sæcula: tibi commendo hodie & omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: omnes cogitationes meas, affectiones, locutiones, actiones: omnia exteriora & interiora, sensum & intellectum, memoriam meam, fidem & credulitatem meam, & perseverantiam meam, in manus potentia tua: ut custodias ea diebus & noctibus, horis atque mo-